

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Amnte Vitam Solonis

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

ANTE VITAM SOLONIS

Vertente eodem Lapo Florentino.

SÆPE numero veteres sapientissimos Philosophos mecum repetens, admisi
 rari soleo [1] Beatissime Pater, nec parum dubitare, quæ causa illos
 tanta impulerit, ut in suis Civitatibus, cum & honoribus maximis & co-
 piis amplissimis abundarent, a Republica & a negotiis animi quodam
 judicio abhorrentes, iis omnibus exagitatis atque contemptis tanquam in tu-
 tissimum & tranquillissimum vitæ portum in otium solitudinemque confu-
 gerent. Sed cum diligentius cogito, quantum ii suis studiis laboribusque
 profecissent, magna mihi ac multo maxima pars admirationis præciditur,
 nec eos solum divina aliqua sapientia, verum etiam præcipua quadam in
 nos benevolentia fuisse arbitror. Nam & ipsi dum vivent, se se consilio
 prudentiaque sua nonnunquam in dubiis casibus & amicis & Patriæ pro-
 fure, & ceteros, quo prodesse possent, suis doctrinis atque artibus instru-
 xerunt: ut Clazomenius ille Anaxagoras Periclem Athenensem; Siracusa-
 num Dionem, Plato; Pithagoreus Lisiās, Thebanum Epaminondam; alii-
 que complures alios, qui omnes vel Principes Civitatum, vel summi belli
 Duces extiterunt. Nec vivi solum, verum etiam post mortem hoc idem
 suis scriptis & monumentis consequuti sunt; ut facile appareat, illos non
 ob inertiam & desidiam se a laboribus amovisse, sed suum omne studium
 & laborem ad nostrum commodum utilitatemque contulisse. Quæ quidem
 cum hanc inanem admirationem & dubitationem meam nec homine erudi-
 to dignam magna jam ex parte minuissent, tu sustulisti funditus; qui
 eum his rebus omnibus, quibus illi in primis afflueres, eorum ne di-
 cam imitatione non enim contempsti, ut ii fecerunt, nec profudisti, af-
 flatu quodam impulsuque divino amplissimum patrimonium sublevandis inop-
 ibus, in liberalitate totum, & beneficentia posuisti; ut solutus & liber
 ab omnibus pietate ac religione veram illam & perfectam felicitatem, quam
 superiores Philosophi decepti opinionibus, & inanis gloriae cupiditate ad-
 ducti cum quererent nec noverunt, nec reperire quidem potuerunt; & tu
 invenires, & fruerere. Quibus tantam de te expectationem sanctitatis in-
 tegritatisque concitasti, ut non modo ea, quam sequebaris, beatitudine di-
 gnis omnibus viderere, verum etiam inde vel invitus ad amplissimum di-
 gnitatis gradum omnium Gentium & Populorum consensu & voluntate re-
 vocatus, apertissime declarasti nec inane, nec stultum eorum studium esse,
 qui in otio & solitudine vivendum sibi statuissent. Nam simulac creatus es
 Pontifex, statim Romanam Ecclesiam prostratam & afflictam superioris mor-
 te Pontificis te sceleratissimorum latronum armis undique circumventum
 consilio, sapientia, animi magnitudine eripuisti, & in pristinum statum
 dignitatemque vindicasti; aspermos & immanissimos hostes partim conciliasti
 tibi, partim sui similibus oppressi, christianos Populos non solum
 dissidentes armis, sed etiam male sentientes & præsens & per Legatos tuos
 edocere, & ad veram religionem reducere conatus es. A te etiam tenues
 atque inopes, & præsertim eruditii viri tuis opibus & copiis assidue susten-
 tati,

[1] Scil. Xystus IV. Savonensis Ord. Min. Convent. alumnus.

